SACRA NVPTIALIA.

Auspicatissimo Hymenæo

ILLVSTRISSIMI DOMINI,

D. IOANNIS

IN ZAMOSCIE

ZAMOYSKI,

Supremi Regni Pocillatoris, Terrarum Podoliæ, Copiarumque Exercitus Germanici, S. R. M.

GENERALIS.

Cameneceñ, Laticouieñ: Calussieñ: &c.

CAPITANEI.

ET LECTISSIMÆ SPONSÆ

MARIÆ CASIMIRÆ FRANCISCÆ

Illustrissimorum Parentum

HENRICI *De la Grange* Marchionis D' Arquien,

&

FRANCISCÆ Comitissæ De Chastre,

FILIÆ CHARISSIMÆ.

Ab inclyta Vniuersitate Academica Zamosceñ: inter festos ac faustos Gratulantium applausus.

Per M. ANDREAM ABREK Philosophiæ Doctorem, Ordinarium Eloquentiæ Profess: Canonicum Zamoscen:

INSTAVRATA.

Anno Domini M. DC. LVIII. v. Nonas Martij.

Perillmi et Admodu Rndo Dno D. Præposito ...

MVlieris bonæ beatus Vir : numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat Virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona Mulier bona: In parte timentium Deum dabitur Viro pro factis bonis: Diuitis autem & pauperis cor bonum: in omni tempore vultus illorum hilares.

ECCLESIASTICI XXVI.

SACRA NVPTIALIA.

SI quo solennium Votorum comitatu, quamuė amplo, atq; liberali addictissimæ propensionis suffragio, auspicatissima hæc Vestra Fœderum Maritalium instituta, gratæ semper, & ad prosperos Patronorum successus animitùs gestienti Academiæ Zamoscensi, venerari licuit: eodem felicioris eloquij prouentu, intimum hunc erga Vos eius affectum, interpres hæc testari deberet Oratio: SPONSI ILLVSTRISSIMI: frustra equidem illi, vel in his initijs cespitanti, ab expeditis Oratorum Scholis suppetias postularem, quam, vt non maiori venustioris facundiæ nitor deseruit interuallo, ac prolixissimi erga Benefactores officij studio, quidam vigor accessit; ita nec minori audacia, conatui huic innatus candor aliquis applicauit: quàm meritorum in se vestrorum conscientiâ, expediuit. Scilicet, hoc Diuinum quiddam, Magnę Vobis inest Animæ; quod, vt semper publicam in Fatis Factisque Vestris circumfertis Fortunam, semperque perennem quandam, & Magno à Genere, & multa à Virtute, & insignibus ab Honoribus; ministratis Orbi lætitiam; sic nusquam adeò infelices, vel admiratores eorum, vel præcones patiamini; quin ordinariam eis in exornando inopiam, vestro meritorum è censu supplere, vestra egregiè gestorum immensitate excusare nolitis: & quos, inter vnanimes multorum plausus, beneficiorum Vestrorum magnitudine, liberæ cuidam gratulationis necessitati addixistis: ab ijs non addicti potius affectus indicia, quàm exquisiti sermonis ornamenta, requiratis. Quanquàm ne illa etiam hîc defuerint, vbi nihil ornatum, nihil amplum, nihil SACRVM non adest. Vt enim, difficile est inter gaudia vocem continere; sic quamlibet illa sterilis, & vtcunque incondita erumpat, habet cuius beneficio diserta audiat, facultatem; quòties vel à felicitate materiæ, vel ab eorum, qui materiam porrexerunt dignitate plausum sumit. Quod vsq; adeò Vestrum est SPONSI ILLVSTRISSIMI, vt frustra nobis videamur, tàm in explicando prolixissimi affectus testimonio, quàm in excusando

incomptæ Laudationis apparatu, frequentiùs laborare: quorum primum, Felicitas hæc tanta! quâ ab inito Coniugij Vinculo, neminem non recreastis, Nos, etiam beastis: omni prorsus simulatæ assentationis crimine absoluit; alterum, Vosmetipsi, magnitudine Nominum Vestrorum, inconsueto quodam robore & lumine sustinetis: dum non tàm hic exigitis lumina, quàm suggeritis, dicenda Factis pensando, verba Rebus. Parum etiam fuerit hic disertus, quisquis in immensa meritorum amplitudine, non potius istorum catalogos & exempla, quàm verba verborumque curet purpurissos, candidæ in Patronos propensionis, quia è vario colorum coáctos fuco, an non hostes? Promptum, promptum eloquentiæ flumen est; quando ingens laudandorum copia tam in promptu, vt quidquid ornandũ stylo veniat, ornatum illi secum vehat, nec eam scribentis calamo lucem debeat, quam vel illi dederit, vel Orbi. Iterum hæc Vestra sunt, Magna, SACRA sunt, ZAMOSCIA (verbo vt dicam) sunt ornamenta. Iterum concordi non minus quam vero suffragio, ad hæc Nuptiarum Vestrarum Festa assurgunt, & venerabundum Nominibus tantis inclinant caput, quibus in laudandis, vt nemo quamuis eloquens ac disertus exilitatem suam non queri, sic vtcunque impolitus ac rudis, amplitudinem Orationi subitam non gratulari, non potuit: ille, quod nullâ dictorum vastitate, dicendorum multitudini suffecisset: hic, quod quamuis paucissima tetigisset, plurima videretur, quia maxima, dixisse. Quo etiam nomine, haud immeritò ego sorti meæ gratulari debeam, quod succrescentis eloquentiæ tyrocinia, non in vllo prius, ad hanc publicam lucem transmiserim argumento, quàm in quo omnium mihi optatissimo ad Diuos hosce Connubij Vestri splendores, id demum felicioris lucri plurimum quoddam nanciscar solatium, quod non possim versari sine Laude, in tam magnifico laudandorum theatro, tam insigni laudum concursu. Quemadmodum ij qui suaueolentes rosas, vel odora balsama extremis etiam tangunt digitis, quod nusquam meruerunt, imò ne sperauerunt quidem, gratissimo quodam odore perfunduntur: & ab aromate, seu flore gracili contrectato, ipsimet suaue olent: sic gratissimi Vos terrarum exornatores Flosculi, nemo hucusq; adijt Laudator, quin cui necessitatem dicendi meritorum Vestrorum gratiâ ingessistis; eidem conformem tantæ amplitudini non suggessissetis venustatem, ab illo fragrantissimo odore coloreq; Illustrissimi Sanguinis, Sacratissimorum Maiorum, spectatissimæ Virtutis, augustissimæ fortunæ, gloriæ immortalis. Non, quasi hîc illud mihi tribuam,

buam,

buam, quod tanta hæc Nomina, quæ fastu orbem superant, non simul meam aspernari & spernere exilem balbutiem non debeant: Neque quod ad tam solennem hanc celebritatem felicioris Coniugij, inter hasce non frequentes magis aut numerosas, quam insignes atq; eruditas gratulantium acclamationes, in quibus aggregandis exaggerandisq;, omnis literarum ac literatorum census, quin & luxus est, censoriam quandã improuisæ audaciæ Crisim non extimescam; Sed quod existimem, idem incompto mihi quod perfectissimo cuiuis forte euenturum, vt Oratio quamuis vasta venustaq; sit, infra vestram procumbat dignitatem, nisi Vos intra eam esse iubeatis; nisi hæc quibus magnitudinem vestram auxisse voluerat lumina, vestra meritorum specie illustretis: & vel initijs verecundæ, vel successibus hæsitanti, tutricem illam à Zoilorum conuicijs manum supponatis, quâ quidquid in orbe tutum est, sustinetis. Accedit, quod ad hæc NVPTIALIA SACRA, auspicatissimo Vestro Hymenæo, totis Academię Nostræ è Votis, totoq; conatu Sacra, eum Nobis omnibus Gratitudo publica, eum obsequens erga Fundatores Pietas diem dixit: vt extra literas hic fuerit, qui hîc non fuerit. Tantum est, tantis Solemnijs non adesse, quin sine munere adesse, (sine quo superstitiosa Antiquitas Deos adire vetuit,) sacrilegium. Atqui & id si vllo officio nostrum, beneficio omni Vestrum munus est, honore Vestrum, pretio Vestrum: Vosmetipsi gratissimum hoc immortalitati Munus estis: & licentiam tantum proferendi eius in hanc SACRORVM lucem, nobis conceditis, ipsi exornatis, Venustate Generis, pulchritudine Meritorum, specie Honorum; quos si quando, nunc certe ad NVPTIALIA SACRA decuit prodire: vt ad publicos solennioris lætitiæ plausus, Maiorum splendori pares, compareretis. Agite vero SPONSI ILLVSTRISSIMI, quam ipsi cum Augusto Sanguine & Inclyta cum Virtute, ad primas Tædas attulistis Maiestatem, eam publicis, & Academię Vestrę Votis accipite cumulatiorem, Gentilitiâque probè instructam pompâ, humiliori stylo mihi adumbranti, vt consueuistis ad SACRA, tenemini ad VESTRA, facilibus animis estote.

Neq; verò diutius mihi ad tam varios SACRORVM apparatus anceps ille torquendus animus, quidúe primum miretur? quid stupeat? indagandus: vbi in limine, toti æternitati ac orbi spectanda, immensa Familiæ Maiestas se explicat, fida illa, si obsequia pensitamus, Comes, si beneficia, SACRORVM Fautrix: Augusta meritissimis Atauis, Diues amplissimis Honoribus, Magna ingentibus

 promeritis,

promeritis, nominibus, laudibus, trophæis, & vt pari ſibi conſtet Elogio, SACRA, ZAMOSCIA, TVA. SPONSE ILLVSTRISSIME. Fuerit ſane illa quàm non infrequens tàm ſuſpecta aliquorum contentio: qui cum Saluſtiano Mario feliciores arbitrantur eos, qui non naturæ ſed meritis, non ſanguini ſed virtuti ſi quam habent, debent dignitatem; & feliciori fato quopiam authores potius nobilitatis quàm hæredes eſſe, meruere. Steterit & illorum ſi quo ſtabili pede poteſt, nimium lubricæ progreſsibus Fortunæ, nimium in cautè fidens confidentia, quicunq; Principem illam Dearum ita prono affectu in geneſim ſuam conſpirauiſſe autumant; Vt vel genere infames, vel conditione ſeruos quaquauersùs comitetur: & aliàs libera ne dixerim diſſoluta, vilis cuiuſdam atque obſequentis famulæ captiuos vultus induat, nulli eorum imperio non adſit, nulli conatui non pareat, veſtigia honoribus ſternat. Mihi certè vt non abſq; næuo plauſus hi, quia non abſq; deluſorio fatorum comitio, ſic in ijs duntaxat minus ingenuis arrident ingenijs, quibus è plebe ruſticâ oriundis, rectè gerendarum pro Patria rerum cum & neceſsitas deſit & facultas, ſolus ille ſeruilis metus ſupereſt, ne ſi genere Nobiles, ignobile quiddam perpetrârint, hoc ſibi publica fama an infamia adſcribat, quod Cæſaribus Tyrannis ſcripſit aliquis; *Illuſtriores fierent, ſi obſcuriores naſcerentur.* Inſignium profectò Familiarum hic ritus eſt: quod cum ſecum publicam ferat vbiq; maieſtatem, nec ad priuatæ alicuius ſortis regulam, cœlo dignos accommodet ſpiritus, ſed ex natiui Sanguinis authoramento vitæ ſuæ legem ponat, tum nihil fortunę cuiuſpiã debeat obloquijs, quiſquis, vt eſſet illuſtris naſcendo meruit; ſecumq; bene viuendi neceſsitatem in mundum tulit: æquè de ſanguinis certus claritate, ac de virtutis perſuaſus incremento; quam in ſanguine hęreditauit, cum lacte bibit. Vſq; adeo *Fortes creantur fortib⁹ & bonis.* Vſq; adeo inſignium Familiarũ hæredibus, hæreditatis in virtutem Ius præſtò eſt, ab hâc in merita, & quibus ea penſantur, præmia per orbem Reſq; Publicas auguſtiſsima. Nec iniuriâ. Siquidẽ quamuis nemo in alienam vixit virtutem; nullaque Maiorum dignitas degeneres ſucceſſorum animos, non fœdauit potius quam honeſtauit: tamen iſta eſt nobili quædam ingens Sanguini ingenuitas, quod tantò quiſq; cæteris excellat, quantò illuſtrior à natura venit, & quam alii per tot laborum diſpendia, tot temporum intervalla quæſiêre, domi natam reperit, & augendi Nominis claritatem, & agendæ neceſsitatem virtutis. Quod dum dicitur, Tibi primum SACRVM eſto, SPONSE ILLVSTRIS-

LVSTRIS-

LVSTRISSIME quem augusta Antesignani in orbe Polono Generis magnitudo, quà gloriæ luce, quà Originis vetustate ita exornauit, vt dubium sit, an aliquid, hâc, seu vetustate antiquius, seu luce splendidius viderit Polonia. Quidquid enim ei ab illustribus Magnorum Heroum Prosapijs, quidquid ab eminentibus Togâ Sagoq; insignium Virorum meritis, hinc vt ab ortu suo regnandi auspicium & robur sumpsit, splendoris atq; dignitatis fuit; illud totum adeò fœderatis voluntatibus in Maiestatē Tuæ Illustrisimę Domus, conspirauit, inque hanc eius lucem sic coaluit, vt nihil equidem in tam amplo Regno sit amplum, quod lumen huic, vel ab eadem sibi non mutuârit: quod in consortium eius Sanguinis non venerit, cui, nisi benignius cœlum exteræ Magnitudini prærogatiuâ nubendi prouidisset, Consors non erat. Quidquid etiam Respublica nostra, fulminei in bellis quo terrebat hostes habuit fulgoris: quidquid tranquillis temporibus, splendidisimæ possedit dignitatis; id aut Domui Tuæ concredidit, aut ab hac assumpsit; in qua tot de fusis Hostibus Victrices, tot de Ciuibus seruatis Ciuicas, tot de Vrbibus Arcibusque, hostium ereptis, Patriæ recuperatis, Murales Coronas, tot barbaris detracta spolia, tot emeritas bellis Laureas, tot triumphos, tot Arcus, tot Nomina, tot Subsellia, tot Honores, tot elogia, tot exterorum miracula, tot vota, si fuga inanis fastûs, vt mos est aliquibus, pomposis non explicat præ atriis, certe iusta perennitatis memoria, gratâ in omnium recordatione consignauit. Quidquid insuper amplisimum hoc ipsum honorum Domicilium (Polonia inquam) habuit Honorum; id tam liberali ac libero sinu in Tuam Paterni Materníque Generis affinitatem còëgit, vt nihil prope habeat, quod vel in bellis strenuè, vel in pace gloriosè, vel pro Rostris disertè, vel in consilijs eruditè, vel pro cancellis tersè, vel in Curia Sanctè, vel domi liberè, vel foris grauiter, non per fortisimos Exercituum Duces, prudentisimos Regni Cancellarios, zelosisimos Sacrorum Antistites, fidelisimos Consiliarios, amplisimos Senatores, eloquentisimos Legatos, æquisimos Iuris arbitros, amantisimos boni publici Ciues, auidisimos famæ ac immortalitatis Heroas, *Zamoscios*, *Herburtos*, *Tarnouios*, *Ostrogios*, *Zaslauios*, *Odrouązios*, *Kostkas*, *Lubomirscios*, *Chodkieuicios*, *Korybuthos Koniecpolscios* actum habeat. Tanta hæc, totq; Nomina, an non & Numina? totq; iis alia cognata, amplisimæ Tuæ Affinitati iunxisti: tot inuicem, tam insignibus, (nam Principibꝰ in Orbe Polono) Familijs, es coniunctus. Dixerim iam, Gentilitias Tuas Sarissas, ex ipsis Po-

 lonæ

lonæ magnitudinis Insignibus enatas, nempè, illis Infulis, Mytris, Aposphragismatibus, Clauis, Caduceis; in ipsisq; Sellis Curulibus sedem fixisse: nisi ampliùs quiddam illi, qui profusissimis Panægyribus deduxerunt, ei cuidam feliciori fato & commodo Reipublicæ editas, vt essent periclitantis sustentacula, ruentis fulcra, florentis insignia, & propulsatrices illæ ac expultrices hostium Columnæ, ad quas Herculeo Vestro robore & Nomine insignes, nemo illorum quamlibet vastus & vastator venit, qui non tàm Imperium quàm Oraculum illud exhorruerit, *nè plùs vltrà* insaniret. Commodùm hìc recenserem, à primo Nominis & Generis Vestri Authore *Sario Kozlorogio*, à primà Rerum Polonarum origine, hanc vsq; ad eius lucem & molem, quà pro Aris Sanctos, quà pro Focis strenuos Præsules, Ciuesq;. Hinc cum *Zdislao Archiepiscopo Gnesnensi*, *Thomas Wratislauienses*, *Florianos Cracouienses*, *Georgios Chelmenses*, *Ioannes Luceorienses* Antistites, zelo Diuini & Patriæ honoris, amplissimis quibusq; pares. Inde, cum *Floriano* in Campis Pruthenicis, non tantùm manus viriliter cum Crucigeris conserente, verùmetiam viscera pro incolumitate Patriæ liberaliter effundente, post innumeras in diuersis Regni Districtibus, variorum Officialium cohortes; *Felices Succamerarios Belzenses*, *Ioaannes Mareschalcos*, *Nicolaos Referendarios Regni*, *Ioannes Chelmenses*, *Venceslaos Leopolienses*, *Stanislaos iterùm Chelmenses Castellanos*, Viros in Senatu graues, in bello strenuos, domi & extra, ab omni Bonorum Ciuium virtute commendatos: Sed in illis recensendis atq; ad omnem gloriam omni cum elogio vt merebantur transmittendis, ita multorum olim ingeniosa sudauit contentio, vt frustra videamur ijs prela fatigare, quibus nusquam ita impresserimus eorum dignitatem, quam illi præclarè factis, toti æternitati, & cum hâc laudi expresserunt. Sit vnus pro omnibus, omnium non solum Affinium iubar, sed & Ciuium illud vnicum exemplar; ingens ille Reipublicæ Polonæ, totique eius gloriæ ac moli sustinendæ solus par Atlas, quia Nomine, Meritis, publicisq; Regnorum Oraculis MAGNVS, IOANNES ZAMOSCIVS, AVVS TVVS. Boni Superi! quantum Nomen, quàm Regno auspex, quàm Regibus gratum, quàm hostibus formidandum, IOANNES ZAMOSCIVS! Ille, ille nimirum, qui ita primam ætatem Palladi consecrauit, sicque humanioribus primùm disciplinis pertinacem illum animum vouit, vt omne deinde in sæculum, vix ante audito commercio, literatum Martem induxisse Polonis meruerit; nempe eum,

eum, quo victis tot industrio bello hostibus, omnium spes & vota Ciuium, famam Imperatorum, memoriam ætatum vicit: nihil aggressus cuius momenta non priùs consilio iudicioque acerrimo percurrisset; cuius agendi perficiendiq; facultatem, non animo vicisset: tanquam quidquid aggrederetur, non casu vel impetu, non temerè aut fortuitò, sed Consilio, consultò victurus. Ille ZAMOSCIVS, qui cùm se totum Reipublicæ dedisset, ita vicissim Rempublicam in laborum honorumq; suorum partem assumpsit, vt nihil vel illa bellorum aut hostiũ haberet, quod non per Hunc vicisset: vel ille caperet dignitatis, quod non ei detulisset. Ille, qui ad speculam Regni & Orbis, Senator ac Imperator vigil collocatus ita vnâ illa Dexterâ, Iura & Arma Patria dextrè tenuit, vt nihil prope Iuris in Regno sit, si non ei cum instituto amsancto Iustitiæ Tribunali, initia succelusq; deferat: nihil armorum, si non pro hoc Duce militet, cui plures victi hostes, quàm multis visi militant, tota illustrium per Orbem Imperatorum fama, tota vicinorum exterorumq; elogia militant, nusquam victo, toties Victori. Ille, qui seu attritis æmulæ potentiæ viribus, seu fractis compressisque discordium cerebellorum conatibus, tàm Regibus Sceptra, quàm hos dare Sceptris, fide, fortitudine, bello, victoriâ potuit. Ille, qui in tanta rerum potestate, tantâq; hac virium magnitudine, nullibi non mansuetos gessit illos animos, quàm Magni apud Magnos Reges Ducis, tàm subditi fidelis, ad quos, cùm bellorum ipse sibi labores & pericula sumpsisset, fructum, decus, auspicia, gloriam referebat. Ille, qui cùm non tantùm se superstite Poloniam florere voluisset, verùmetiam omne ad æuum duraturam præsensisset, id ei duplex conseruandi liberi Status felicissimum reliquit monumentum: nempe hoc situ aptissimum, specie venustissimum, robore inaccessum, è quo bona, salutemq; Ciuium, ab omni hostium insultu constantissimè tueatur, *Propugnaculum*: hocq; inclytum *Musarum Domicilium*, è quo frugi publicæ Viros, continua succedentium annorum serie nanciscatur. Magna hæc & præclara sunt, meritoque dum ad hanc NVPTIALIVM SACRORVM lucem, Honori Tuo dicuntur, quàm multorum opinionem excedunt, tàm admirationem, ac fidem mancipant, cui tot à publica Ciuium confessione argumenta; quot in Imperio præclarè gesta, quot in Historiarum annalibus, passim cum verâ laude proclamata, quot ab exteris non sine inuidiâ suspecta, quot domi omnium honore amoreque habita: Quippe *Vir erat*, (verba sunt, digni tanto Hectore Homeri, imò potiùs renati Polo-

niæ Cromeri, Pauli Piaſecij, Epiſcopi Præmiſlienſis) *Armis & Literis Clarus, omniumq; Virtutum numeris abſolutus, Vindex ſeuerus Iuris Moriſq; Patrij; & cui ſoli totum debet Gens Polona, quidquid Regalis dignitatis apud eam habet Stirps nunc Regia, quidquid ipſamet priſci decoris, quidquid Libertatum retinet auitarum. Nec in Poloniâ tantùm, verùm in totâ Europa, inter multa ſæcula pauci eius pares nominari poſſunt.* Fama eſt, Rhodijs Syracuſaniſq; tàm propitium Solem eſſe, vt nullam prorſus diem viuant, quâ non eis ſerenus illuceſcat, quâ ſalutares illos radios non explicet, votiui mundo luminis, teſtes ac patres. Meritò hunc ego Poloniæ Solem Illuſtriſsimum AVVM Tuum appellauero, quo ei in Zodiaco Senatûs radiante, nulla tam obſcura dies abijt, quâ non ſingularis continui ſplendoris radius affulſiſſet, nullum tempus, ſeu bellis horridum, ſeu odijs triſte, quod non hic Sol luſtraſſet, illuſtraſſet, conſilij promptitudine, virtutum ſpecie, pacis nitore; Dignus, qui PATRIÆ PATER diceretur, cui tantam peperit Maieſtatem; Dignus qui VTRAQVE CIVIS, quem nullum tempus diſcrimenúe, aut Conſulem æquum, aut Militem ſtrenuum, non requiſiuit ac agnouit; Dignus, qui & tantorum Nominum, vel ex aſſe Hæres, vel ex iuſto poſſeſſor, (quod Soli adſcripſit quiſpiam) SOLVS, & VNICVS diceretur; niſi in tam mutuam, eius muneris ſocietatem, Succeſſores Vos ſuos vocauiſſet, atq; etiam aſſumpſiſſet, vt credi non poſſet IOANNES deceſsiſſe, cui THOMAS ZAMOSCIVS ſucceſsit. Dulciſsimus inquam Genitor Tuus SPONSE ILLVSTRISSIME, Qui tam citò illum PATRIÆ PATREM, deſiderio primùm publico, tùm Regno huic reddidit, vt Ille deſiderari non poſſet, quando Hic expectari non debuit, Paternæ non ſolùm fortunæ ac gloriæ, ſed Virtutis etiam Hæres, feſtinatæ indolis impetu, ſpem, annos, vires, prægreſſus. Ita primus Iuuenilium eius annorum, præcurſor æui flos enituit: qui non alios poſtea fructus daturus erat, quàm fidelis in Reges obſequij, integerrimi in Patriam amoris, inuictæ contra hoſtes fortitudinis, ſummæ inter Ciues prudentiæ, & in omnibus Paternæ gloriæ. Minus porrò de hoc tanto Viro dici fuerit, quidquid primo ætatis in curſu, pro literis doctriniſque nobilibus, maximum ille egit. Quâ nempe cum laude ad Scholarum limina verſatus eſt! Academiæq; non in fundo aut patrimonio tantùm, ſed in patrocinio cultuq; etiam ſuo extructæ, quàm vberem ſæpè, magna de profectu ſuo ominandi occaſionem ac copiam dedit? qua ergà Diuos pieta-

pietate, in Præceptores obseruantiâ, in Virtutem & Literas, animi promptitudine, qua ingenij maturitate immaturus annis creuit? qua dexteritate Municipalis primùm ad Comitia Legati, tùm ad Tribunal Regni Iudicis Deputati, munus onusque obiuit? quo Exteros apud Principes peregrè proficiscens in amore ac honore vixit, quemadmodum extra laudatus est? quomodo nihil prope Iuuenis egit, quod non sedatam annorum maturitatem spiraret, postquam animi & consilij superâsset? Etenim illud omnē prope excedit magnitudinem, quod vt ab exteris redux Patrios reuisit Lares, illum simul tuendorum atq; ornandorum eorundem animum assumpsit; vt nullum bellum, quin ne terrorem vllius belli audiret, cuius non primam grandemque partem suo repentè consilio, sumptu, robore, periculo, sustinendam atque propulsandam susceperit: Sicque in oculis Serenissimorum SIGISMVNDI III. ac VLADISLAI IV. felicissimorum Poloniæ Regum, varijs contra varios Hostes in prælijs versatus sit, vt vnanimi vtriusque Tanti Principis suffragio, & amantis Patriæ Ciuis, & gnari Bellorum Militis, & inuictæ Potentiæ Ducis, elogia meruerit, retulerit. Par eiusdem pro Toga contentio, & ob hanc, immunis ab omni liuore ac pernicie laus; vt frustra cuipiam mirum videatur; tanto eum, tamque præpeti cursu, ad famam, honorem, dignitatem in Regno maximam ascendisse, illicq; mansuetioris Iuuentæ meritis mox euectum, quò tardè senectus aliorum eluctari solet, consedisse; qui primus exemplo suo probauit, *Congeriem meritorum, exactionem esse præmiorum*; nec tàm annorum mole ac mora, quàm præcocibus Virtutum incrementis, Magistratuum Candidatos æstimari oportere, ijsq; primùm tribui Honores, qui se primùm Virtuti manciparunt. Quippè Podoliæ primùm, mox Terrarum Kiouiæ Palatinus renunciatus, ita in vtroq; eo honore se gesit, vt & numerosissimis Ciuium Conuentibus frequens ille, præstò eum Consilijs expeditum, in Iudicijs iustum, in publicis Consessibus grauem, vbiq; boni publici studiosum, viderit Senatorem; & hic ad infesta Thraciæ diademata situs, trucisque fremitibus bellorum Istri conterminus, è Martiâ Familiâ oriundum, bona, salutemq; Conciuium, à vi & impetu hostium, promptissimis auxilijs toties defendentem, senserit Bellatorem. Ita Marte & Arte potens vtriq; Reipublicæ tempori, & omni vbiuis necessitati aderat, proderat, Palatinus ZAMOSCIVS. Quid verò hic referam eius quæ Vice Cancellarij dignitate illustrior pro Patriâ fecit, perfecitq; promerita? non vicariâ vsquam industriâ, sed

 principe

principe semper Virtute, authoritate, fide, sapientiâ Magistratum eum gerens regensq́;, & victâ verbi iniuriâ inuictis laboribus, ad summæ laudis atq; æstimationis fastigium, Tituli modestiam secum euehens, â quo nec totum Nominis tanti decus, potuit abesse diutiùs, qui plena semper decora pleno nomine, & meruit, & gessit? Quid dicam de prolixissimis erga eum Regiȩ benignitatis fauoribus; à quo nihil prorsùs honorum abesse voluerat, inclytus ille Principum Virorum amor SIGISMVNDVS, cum primam ei in Regno dignitatem, Castellanatum videlicet Cracouiensem promisisset, dicam ampliùs obtulisset, consignatisq́; ac subscriptis in Chyrographis, tradidisset; nisi ille vel honores ambire minimùm, maximùm mereri censuisset, vel in eo officio consistere maluisset, in quo suã ergà Regem & Regnum fidam semper operam, non in honoribus tantùm, sed in laboribus, ac molestijs etiam propagaret? Quid recenseam vel ipsum Cancellarij tantum tàmq́; illustre officium? Quid eo in ipso Herculeos recitem labores? Quid in euulgandis responsis plusquàm Tullianam facundiam, in absoluendis Iudicijs plusquàm Aristidæam æquitatem, in distribuendis præmijs, plusquàm Vlysseam prudentiam, in indicendis supplicijs, plusquàm Catonianam firmitatem? Qui præsertim sciam, ita hæc omnia, & his omnibus multò plura alia, in omnium animis atque etiam oculis hærere, vt nemo quidẽ sit, qui singulare illud Optimorum Cancellariorũ encomion illi non adscribat, cui omnia elogia omnis posteritas debet, ac defert: quòd fuerit prouidentiæ & beneficentiæ Diuinæ Os augustissimum, Iustitiæ lanx, & amussis integerrima, Dextera præmiorum dispensatrix fidelissima, vindex scelerum & sceleratorum æquissima, Cor, delicium Regum, Reipublicæ firmamentum. Potuerit ergò de se aliquando terror ille Orbis Alexander M. dixisse, suos, si breues adfuêre annos, merita pensatura: illaque superbâ magis quam vera voce vt libet iactauerit: *Vixi satis, quia non annos sed triumphos numeraui; metior me, non ætate, sed perennitate.* Profectò multò satiùs immaturos THOMÆ ZAMOSCII obitus eodẽ nos decorabimus Elogio; qui quamcunque vixit ætatem, (vixit tamen, si cum meritis comparetur, paucissimam) ita omnem bono publico, ita famæ vixit; vt cum tot pro Patriâ præclarè egerit, tot in bellis strenuè, tot in Comitijs liberè, tot in Iudicijs iustè sese gesserit: toties contra Hæreses pro Ecclesiâ, toties in perduelles pro Republicâ vltor excanduerit, tot illi Aras munifico sumptu, tot isti curas laboresq́; Heroico cultu consecrârit; tot in Augustissima Sobole, Catho-

le, Catholico ac Polono Orbi præſidia reliquerit: verbo, totum egerit, quod non perennes tantùm, ſed æternos etiam annos ſpirabat; vt inquam, iurè ab omnibus quemadmodum vixiſſe optabatur, ſic mortuus immortalis dici, mereatur. At me quis hûc tandem concitatus rapuit impetus? quò præceps abijſti calame? Ad hilares feliciſsimi Coniugij Tædas, luctuoſas triſtis ſepulchri Nænias meminiſti? Cui bono? Quid lachrymis cum gaudio? quid communi lætitiæ cum publico planctu? quid NVPTIALIBVS SACRIS, cum lethali Sarcophago, quem pro Obitu incomparabilis Senatoris meminiſti? Nempè vt cognoſcat Orbis SPONSE ILLVSTRISSIME; quantum cum illo Viro amiſiſſet, niſi Te feliciori fato quopiam NATVM EIVS PARENTIS, augendis Reipublicæ Honoribus natum, ſuſcepiſſet: qui vſq; adeò Paternæ in rebus agendis dexteritati, in Rempublicam amori, in Reges fidei, ſummæque in omnibus cum ſummâ Virtute felicitati ſucceſsiſti, ſicq; omnia Paternæ, Auitæq; dignitatis decora poſſediſti; vt iurè, omnium è ſenſu ac aſſenſu, vtrumq; illud Poloniæ Numen, Nomine ac Virtute in Tua ferre videâre, vtriuſq; Gloriæ integer poſſeſſor eſſe; de quo vel vnico ſi omnem Maiorum amplitudinem quis exiſtimet, haud difficilè plurimam immenſæ eius coniectationem habeat, & in quo ſolo, Vniuerſa ZAMOSCIÆ GENTIS Nomina, Reſpublica habet, Orbis miratur. Neque item profuſa illa immaturo fato extincti Illuſtriſsimi PARENTIS TVI deſideria, quàm crebra & ingentia fuêre, tàm vel aliena ſunt, vel profana, vt Tuæ huic NVPTIALIVM SACRORVM pompæ, hiſque geſtientium votorum plauſibus ſacra eſſe non debeant, quibus, quidquid in Genere Veſtro amplum, quidquid apud Maiores ſanctum, quidquid ab Honoribus auguſtum, in victimam laudis ceſsit ac cedit. Decet enim hîc, ſicubi aliàs, nuncq; ſi quando ampliùs eorum memoriam fieri, qui omnium temporum recordationem meruerunt, famam vicerunt: vt tàm Inſignia SACRA ij demùm Exornatores circumſtent, quibus vnita ingenti Fortunæ ſumma Virtus, immenſæ Dignitati Gloria immortalis quouis in puncto adſtitit; quod in Sanctiſsimis Maioribus Tuis, promptiùs inueniri video, quàm ab alijs ſolet requiri. Atquî quod primùm ego innui, idem iterùm hîc pronuncio; nullo feliciùs in exemplari ingentem illam Maiorum Tuorum Virtutem poſſe videri, ac in Te ipſo, quem manſuetior quædam cœli fortuna Hunc Illis prouidit Succeſſorem, in quo non Vultus tantum Patrios, ſed animos quoque omni Virtuti ac Hono-

 ri pares

ri pares sic expresſit; vt viuum prototypon habeat Posteritas, in quo Par illud Heroum nobile, IOANNEM & THOMAM ZAMOSCIOS, omni voluptate relegat, omni officio veneretur. Scilicet ij Te excepêre Natales, quos cum Zamoſcanis Sarisſis, Illuſtriſſima Ducum in Oſtrog Sydera, ita de Tuo lucidisſimo ſemper Virtutis atq; dignitatis ſplendore Orbi ac Famæ commendârunt; vt dubium non eſſet, totam in ætatem meritis, præmijſq; in Regno maximis Illuſtrem Te victurum, cuius Infantis Cunas tanta Paterni Maternique Sanguinis auſpicia decorârunt. Hinc quàm Tibi promptus ad ſtudia virtutemq́ue à teneris animus, tàm bonis omnibus cita ſpes, & ab hac fidele augurium fuit; Magnis Te aliquibus Reipublicæ commodis natum, magno Regum ſolatio ac amori, qui nedum Adoleſcens, maturos ſolertioris æui fructus in primulo annorum vere proferebas. Quis enim Te non iam tunc dixiſſet zeloziſſimum Diuini Honoris Religioniſq; Orthodoxę defenſorem? quando primis in Ephebijs, contra Schiſmata atq; Hæreſes ſeriò olim certaturum, iam tunc videret curioſè inueſtigantem, quam in Religionem quiſque propenderet? illoſq; acerrimè deteſtantem, quos aduerſa Vni Sacræ Religioni Romanę, irreligioſa proin' religio haberet? Quis tunc non agnouiſſet fidum Te Regibus Tuis Subditum, & verè ex ijs vnum Ciuem futurum, quorum in ſinu ad ſecuri prolubium ſomni, vel nomine ſuo auguſtior Auguſtus quieturum ſe prædicabat; cum vidiſſet ad Inaugurationem & Coronationem VLADISLAI IV. Regię eius Chlamydis, laciniam ad Diuorum Aras proceſſuri puerilibus vlnis ferentem, & quaſi iam tunc probantem, nulli Te Regio olim obſequio non aptum, talemq́ue ſemper Ciuem Victurum, quales ſe exhibuêre in proſperis & aduerſis, cum longâ antecedentium Maiorum ſerie AVVS & PATER ampliſſ: Nimium verò habear prolixus, ſi indicia Virtutis auguſtisſimæ, quam in exemplo intuemur, prolixius inueſtigem; prodromoſq́ue dignitatis Tuæ iſtius floſculos aureo ex annorum vere colligam, quam experimur in fructu. Ne tamen iniuria ſit præſagijs, quæ nemo Laudator non adhibuit, in Te plura ſunt, quàm dici poſsint; vnicum mihi inſtar omnium ſit, iuréq; idem maximum, quod ita nimirum ab Ephebis, humanioribus Literis Te dediſti, vt neminem non Augurem haberes Magnæ Tuæ Virtutis, inſignium in Regno Honorum, infractæ erga Reges conſtantiæ, perfectæ Viri, Ciuiſque boni, cum omni Ampliſsimorum Maiorum laude, dignitatis. Etenim poſteaquam ad exaggerandam illam quam à Natalibus accepiſti Generis &

neris & Nominis Tui amplissimam dignitatem, duo hæc sola cum Bonis Cordatisq; omnibus media putauisses, primùm, quò Iuuentus tenera in Scholarum vmbris ad publicam Regnorum lucem per humanissimas disciplinas solet erudiri; alterum, quo adultior eadem, ex vmbratilibus Gymnasiorum spacijs egressa, ad speculam Orbis in Martia Orchestra debet conformari; ita, ita profectò doctissimorum Præceptorum operâ, primam ætatem literis triuisti, vt & ILLVSTRISSIMIS PARENTIBVS multa hinc solatia, & planè omnibus insignem spem magni Bellatoris præbuisses. Testes eius quod dico sunt primitiæ Tyronum Artes, quarum serios decursus, ita præpeti cursu absoluisti; vt mirum esset, tantâ Te ingenij laude nedum Iuuenem, extitisse. Testes ampliores loco numeroque scientiæ, quarum nemini Ciue Polono dignæ non vacâsti. Testes Principes Poloniæ Magnates, testes eruditissimi Professores, quorum in oculis toties monstrâsti, quantum in tractatis scientijs profecisses; nunc Orator pro Rostris disertissimè perorans, nunc Philosophus Ethicas, Politicas, cæterasque his vicinas Theses, acerrimè defendens ac oppugnans, magno attendentium, stupore, solatio, omine. Quibus ita feliciter instituto, non diu Tibi videbatur cogitandum, quid in alta illa Poloniȩ quiete, ampliùs pro eius commodo ac honore ageres, quàm vt illam amplissimorum Maiorum dignitatem, Tuamque ab humanissimis disciplinis quæsitam prudentiam videndam extrà Tecum ferres; ipseq; eò pergeres, vbi ex accessione insignium Rerumpublicarum, familiaritate prudentissimorum Ducum, Principum, Senatorum, alloquio virorum Doctorum, vel ipsa virtutis eorum cogitatione, animum Tuum ad omnem virtutem & gloriam natum, vsui Patriæ tantò aptiùs conformares. Perrexisti ergò ad Exteros, vbiq; Domesticam ferens Virtutem; alienáque in Regna non tàm spectator, quàm spectaculum abijsti. Nemo Te ibi viderat, qui ZAMOSCIVM esse non agnosceret, amplitudine Generis, luce Factorum, specie Honorum, nemini terræ, nullisq; prorsus Populis, aut Gentibus, antequam venisses ignotum. Ita Te vbiuis gessisti, vt memoriam AVI, vt desiderium PATRIS in Exterorum animis excitares, ac etiam expleres. Quibusuis admirationem, Venerationemq; Tuæ Indolis imperâsti; omnium Tibi amores & gratias mancipâsti, præcipuè Virorum Principum, quos si recitem vniuersos, vltrà quàm in immensùm Orationem producam. Tango tamen aliquos, & partem potius multorum, quàm omnium seriem propono. Amplissimus *Venetia-*

rum

rum Princeps, Aduenæ Tibi, gratiſsimè ſalutato, humaniſsimè recepto, eum in maximo Principum ac Senatorum Concilio locum, ac ordinem ceſsit, quem nemini in tanto Gentis Spiritu, in tantis Reipublicæ ordinatiſsimæ auſpicijs conceſsit. Mantuanum adeunti Ducatum, Excellentiſsima *Mantuæ Ducißa*, cum Illuſtriſſimo Filio obuiam prodijt, omne officij ac humanitatis genus exhibuit. Magnus *Florentiæ Dux* Oras ſuas inuiſentem, cum Cardinali Patruo, amantiſsimè ſalutauit; honorificè habitum dimiſit. *Lucana*, *Genuenſis*, *Piſana Reſpublicæ*, nullo non ſtudio, vt Te tantum Hoſpitem pari exciperent apparatu, pugnârunt. *Siculi* cum *Neapolitanis*, nè in exhibendis grato Aduenæ gratiſsimi Hoſpitij iuribus mutuò vincerentur, contenderunt; quantâ eſſent Tui obſeruantiâ, per humaniſsimos Tibi Vice-Reges monſtrârunt. *Romam*, adeunti VRBANVS VIII. Pont. Max. prolixiſsimam Paterno è ſinu benedictionem profudit, amanter in complexum admiſit, profuſaque ad Aras Apoſtolici Senatûs Principum, pro Tuis Vitæ & Gloriæ incrementis, vota nuncupauit. Nepotes eius *Barberini*, cæterique tot *Eminentißimi Cardinales*, multoties ſplendidè tractauerunt, redeuntem hoſpitales in ædes reduxerunt, à Te inuicem lautè tractati, officioſè reducti, conatu mutuo certârunt. INNOCENTIVS X. & antè, & poſt ſuſceptos Eccleſiæ Faſces, intimis Te proſecutus fauoribus, ad prima Tua poſtulata, Academiæ Zamoſcenſi, promouendorum in Sacrâ Theologica Facultate Doctorum Priuilegium elargitus, cætera item eius à Sanctiſsimis Prædeceſſoribus ſuis liberalitèr conceſſa Authoramenta confirmauit; vtque pro Religione, Patriâ, Regibus, Ciuibus, Familiâ, hæc ageres, quæ laudabiliter egerunt Maiores Tui, & Te allocutus eſt, & Superos precatus. Florens ſemper in Lilijs ſuis *Gallia*, ampliſsimis Regijs fauoribus ornauit. Acceſsit Principum in eâ Heroum amor indiuiduus, & cùm omnium actionum Tuarum frequens ac publica celebratio, tùm propenſiſsimi in SACRAM REGINALEM MAIESTATEM obſequij, ingens quidam ille cultus, quo, cum Te Magnificentiſsimæ illi, ad accerſendam Thalami, ac Sceptri Regij Sociam, Sereniſsimam LVDOVICAM MARIAM GONZAGÆAM, ampliſsimorum Senatorum Legationi adiunxiſſes, illamque Reginam Tuam Lutetijs Pariſiorum ſalutâſſes, omnium propè Ordinum admirationem, SACRÆ verò REGINALIS MAIESTATIS, propenſionem, & gratiam Tibi mancipâſti. Æqualis *Leoni Belgico* in Te exornando ornatiſsimo Hoſpite conatus, par

tus, par

tus, par quibuſq; Vrbibus, Arcibus, Caſtellis, Prouincijs, Regnis contentio, omnibus votum idem, vt Te viderent, vt ornarent; à quo viciſsim viderentur, ac ornarentur; nempè cui integer Virtutis & Gloriæ cultus, in debitum ceſsit ornamentum. Parce SPONSE ILLVSTRISSIME, in hac tàm locuplete dicendi materiâ, ita me parcè verſari. Ignoſce, non etiam illa proferre, quæ tantæ Peregrinationis ſtudio protuliſti Patriæ emolumenta: Quam à tot aditis Diuorum Aris pietatem, à tot viſitatis Academijs doctrinam, à tot luſtratis Rebuſpublicis, ſtatuum notitiam, à tot conſpectis Exercitibus, bellandi peritiam, à tot cognitis Inſignibus Viris, benè viuendi normam hauſiſti. Neque enim mihi, *ſi linguæ centum ſint, oraq; centum*, recenſendorum eorum iuſto numero, non ornandorum exquiſito apparatu eſſet facultas; neq; in Te non magis hæc conſpicimus vniuerſi, quàm ab aliquo poſsint referri. Quidni verò eas ipſas Regiones frequentiùs viſitâſſes? quidni Te illis ſæpiùs Comitem adiunxiſſes? è quibus tanto numero, tanta Honorum commoda referebas; vbi publicis priuatiſque encomijs, amor populi, ſpes Patriæ, totiuſq; Septemtrionis Decus dicebaris; vbi Tuo Honori Reges, Senatus, Exercitus obſecundârunt; quem inſuper ſecuti in Poloniam, tot, tantiq; illi Principum fauores, tot optatæ conuerſationis ſtudia, deſideria ac vota, probatiſsimæq; in omnibus Virtutis, integerrimarum actionum, Heroicæ indolis, Laudatio perennis. Sed mihi Te bono Patriæ natum, iteratò ab Exteris redeuntem, omnes omnium charitates complexa Patria, amantiſsimis deſiderijs ſalutat. Hem quàm triſtis illa! & pullato inuoluta Syrmate, poſt deceſſum VLADISLAI Regis, quàm lachrymans mærenſq;! Vidiſti eam, nec minori luctu, quàm ita miſeram oportuerat ſalutâſti. Doluiſti intimè defuiſſe Tuam illi operam, cum primùm Tuâ egeret: non fuiſſe Te illis in Bellis, quibus pro vindicandâ eius oppreſſa libertate primò certatum. Idem ne illa doluit? minimè; quin optatiſsimum Reducem, integritatis ſuæ additum Defenſorem, amantiſsimè ſuſcepit. Addidiſti quandoquidem vberrimam ei, vel Tua illa infelicitate felicitatis materiem, quando turbatiſsimo illo Interregni tempore, graſſantium totâ Ruſsiâ Perduellium, coniuratos in exitium ac perniciem eius impetus, Tuo Fortunarum, Facultatumq; ditiſsimarum diſpendio cohibuiſti, ab vlteriori Regni depopulatione, ab expectatâ Electionis perturbatione, à cæde & nece publicâ, Tuo iſto *Propugnaculo*, dixerim *Poloniæ Antemurali*, prohibuiſti. Quo Nomine, quàm locupletes eo ipſo in Conuentu, ab Ordinibus gratias lau-

tias laudesq; susceperis, quantùm de Patriâ merueris, quàm feliciter electo Serenissimo IOANNI CASIMIRO in gratiam veneris, spemque non irritam feceris, perennis in eum Dominum ac Regem Tuum officij & cultûs, illi nesciant, quicunque vel inuidi detrahunt Virtuti, vel rerum expertes Veritati. Mitto hîc quâ integritate, fideliumq; obsequiorum promptitudine, Lateri tunc Regio adhæsisti. Prætereo, quam toto eo Comitio dexteritatem, & indolem prætulisti. Taceo, cui Procerum Regni desiderio, ac Honori hæsisti. Quo etiam comitatu, & officio, Coronationis Regiæ Solennijs adfuisti; vtq; ibi nihil quod Ciuem bonum commendaret, non egisti; quia hæc recenti omnium, grataque recordatione circumferuntur; non commemoro. Prodeo tecum potiùs in Martiam Orchestram, & ex hoc Vestali secreto in publicum Bellonæ circum, sacros Tuos Saluti Patriæ, ac perenni Famæ gressus sequor. Ingero me imaginarius licèt itineris Comes illi Prælio, quod ad *Zborouum*, inuicta Potentissimi Regis dextera certauit, & vsu plausuque publico, plusquàm vicit. Quis ibi Tuo, si numerum spectamus frequentior, si animum, promptior fortiorq; Milite lectissimo? Quis ibi Tuis, ad aggrediendos impetendosq; Hostes conatibus animosior? Quis tuendæ Regiæ incolumitati propior? Quis reprimendo Rebellium insultui, fatigandisq; more belli Hostium phalangibus grauior? Quis in Excubijs vigilantior; in conflictu acrior? Quis in vindicando obsesso ad *Zbaraz* Exercitu, hêi quàm insigni Exercitu! constantior? Nimirum ibi, etsi multa fuerant, quæ Te ad hanc ita strenuam bellandi promptitudinem stimulabant; vt potè innati è Bellatrice Familia ad Ludos Martiales igniculi, Fama Maiorum, Salus & Dignitas Patriæ, Nominis futura ingens celebratio, insignisque inter Diales Fastos, meritorum in Rempublicam grauium memoria: tamèn nec minùs illud animabat, quod charissimam illam Marti Polono Animam, dixerim & Tuam, (ita eum amoris & Sanguinis nexu sociâsti) Phœnicem illum sæculi ac Regni nostri, Illustrissimum HIEREMIAM KORYBVTH Ducem in Wisniowiec, vicino in Exercitu, densissima Mirmilionum nequam colluuie obsitum, obsessumque videres; tantumnè verò videres? quin & doleres, aut non Te Ei, aut non Illum Tibi, tanto in Bello Socium adfuisse, quos olim Agnatus Sanguis, recèns par bellandi contentio, socios habuit indiuisos. Quo Tibi reddito, salutiq; ac famæ publicæ gloriosiùs vindicato qui non deindè saluandæ Patriæ conatus? quæ non consilia? quæ non mutua vota? Egistis, egistis certè, quid-

quid

quid ibi fieri per Vos oportuerat; imò nè per Vos tantùm, per Vos tamèn maximè, vbiq; animo pares, labore infractos, fortitudine inuictos, gloriâ immortales. Vellem hîc gratißimi istius ad NVPTIALIA SACRA Hospitis, amplißimam fieri Panægyrim: sed quod tantum est dicendi flumen, quæ tanta ornandi vis, tantaq; copia, quæ dignã in laudem tanto Duci còalescat? Quàm angustior adhæc tempore & stylo Oratio mea! quam ita omnis reliquit vigor, vt non tantùm ornandis aliorum meritis planè desit; verùm etiam admirandis his Tuis SACRIS, vix adsit: Si tamen absque iniuriâ Tuâ, Illustrißimi istius Ducis, aliena dicam ornamenta; quæ vsq; adeo Tuis sociâsti: vt mori ille priùs potuerit, quàm Tuus non esse. Verumenimuerò hæc mihi ampliùs cogitanti, Pacta ad *Zborouum* inita, à Cosacis violari, innumerabilem hostium multitudinẽ omnĩ copiarum genere instructam, è lustris illis ac popinis Vcrainę atq; Scythiæ, ad arma, ad cædes, ad Ciuile latrocinium euocari, Rußiam quâ mole patet inuadi, incendi, vastari, nullum scelus non attentari, sparsi per Regnum paßim rumores, animum obuerberant. In Regno porrò à vigilantißimo boni publici REGE Exercitus conscribi, Nobilitas vniuersa, & intimæ Imperii vires ad Generalem expeditionem commoueri, Hosti acerbißimo, ad *Beresteccium* opponi videntur. Quid hîc egisti SPONSE ILLVSTRISSIME? imò quid non egisti, quod Polono Nobili, quod Ciui Patriæ, quod alumno Bellonę in his eius non ludicris ludis, agendum erat? Dicam paucißimè, neque enim hîc verbis opus est, vbi armis tàm abundè certatum. Mox vt eius cogendi Exercitus ad aures Tuas fama peruenit, mille quingentorum Militum aciem curari, ære ac sumptu Tuo conscribi, atque expediri fecisti: Mox ad *Sokal* cum omnibus perrexisti; mox tàm insignibus, ac frequentibus Copijs, communium Castrorum molem, speciem, robur auxisti. Iunxisti Te ijs, quibus prima aggrediendi excubantis ad *Beresteccium* Hostis cura, aut Prouincia; nulli Te periculo, quo periclitantem tuereris Rempublicam, submouisti: medios inter Hostium manipulos, Tuis cum illis Veteranis, ac Lectißimis, pugnâsti; Caput Tuum pro incolumitate Regiâ aperto discrimini toties obiecisti, Victoriæ illius tàm insignis, multa pars extitisti. Quid autem his ad probandam Virtutem ampliùs, ad exaggerandam gloriam venustiùs, ad propaganda merita nobiliùs, ad promerenda præmia commodiùs fecisse potuisti? quid etiàm debuisti? Properè hæc à me dicuntur, imò etiam multa non dicuntur; quia immorari Magnis, paruitas mea metuit:

 & Tu

& Tu ita promptè, atq; expeditè Magna agere didicisti; vt assequi laudando non possis. Exaggerari hæc in multis debent, de Te tantùm innui; tàm lucida sunt, vt ab omnibus videri, tàm illustria, vt laudari debeant: ipsa sui mentione admirantium implent animos, magnitudine excedunt. Quamobrem nec *Bialocerquensem* admiror, nec *Zwanecensem* moror ad pugnam. Spectauit Orbis, quantùm pro Republicâ in vtrisq; certaueris: nullibi non ZAMOSCIA Tecum proferens Signa ac Arma, nullibi non Auitâ Paternâq; certans Virtute, felicitate, promptitudine, gloriâ. Laudari hæc non egent, omnium laudes prætergressa, admirationem merita, digna exemplo. Dabis etiam properanti mihi, eam veniam SPONSE ILLVSTRISSIME, si eò Tecum tandem veniam, quò maximè Tua Virtus properauit, vtq; iam in fastigio gloriæ memoriæq; immortalis esset, felicissimè contendit, ac effecit. Non longè mihi eius petenda argumenta, néq; vel à prisco temporum tractu, vel ab Exterorum testimonio vindicanda. Domi sunt, in animis & oculis omnium hærent, quæ duobus his, qui se nupèr conuoluerunt annis, pro Patriâ egisti, quæ pro Libertatis illius Vindice ac Tutore, quæ contrà iuratos vtriusq; Hostes, quàm eadem strenuè, quàm commodè atq; gloriosè. Parum siquidem Tibi videbatur, Lateri ac obsequio Regio constantissimè semper adhæsisse; comitemq; ac socium non Bellorum tantùm, sed periculorum etiam, damnorumq; eius extitisse. Parum odia, conuicia, minas instantis Hostis despexisse, amplissimis promissis renunciasse. Parum Religionem Sacrorum, Libertatem Patriæ, Dignitatem Regiam, Nomina Maiorum, quouis commodo, & quolibet Honore Tibi chariora demonstrasse: istorum censu omnia fortunarum dispendia, omnia pericula, Vitam & Sanguinem ipsum, ac si quid ampliùs istis! posthabuisse: si optio daretur, redimendæ Patriæ pretio consecrasse; parum dico fuerat; nisi id quod extrà passìm vsurpabas, Domi probauisses: dum, cui tot Regnorum molimina ac moles sustinendo non fuêre, ei Te Hosti opposuisses; eius consilia, & hucusque prosperas bellandi artes, Tuâ immotâ Constantiâ mouisses, confudisses. An ego Tuam istam ab inclyta Virtute laudem, prolixiùs exaggerem? atqui in eâ ad seram posteritatem cum omni elogio transmittendâ, nemo ampliùs non sudabit. An examinem, quæ vires, qui impetus, quæ artes, quæ pericula, quæ damna, qui artifices istorum Exercitus, pro frangendâ Tuâ infracta Fide laborârunt? at orbi & cœlo palam nullis hoc in passu, vel bellorum studijs, vel pollicitationum illecebris non

bris non certatum. Quid tamen inter illa expediti terroris fulmina, quid inter hæc promissæ Dignitatis oblectamenta, Herculeus ille, nam inuictus Tuus Animus SPONSE ILLVSTRISSIME? an blanditijs emolliri? an minis turbari? an vicinis incendijs, damnisq; tàm ingentibus moueri passus est? Absit quispiam cogitauerit. Immotus stetisti, quo fractam tot periculis, stetisse demum Rempublicam oportuerat, hoc in loco & puncto. Literis, quotquot illæ, ac quamlibèt officiosæ; Literis item Tuis, perquàm nobilibus, & corde in omnium inscribi dignis, respondisti. Legatos qui nihil in Te, quàm priscam in Reges Domui Tuæ fidem legissent, honorificè expedîsti. Minas minores esse quàm Tuam animi perturbationem, Dignitates, quàm ambitum mererentur; declarâsti. Tàm insigne facinus, tàm illustrem constantis animi virtutem, vel ab ipso Hoste probari, inq; suis optari effecisti: spem quietis & pacis, faustâ Victoriæ inchoatione, nobis omnibus restituisti. Liceat Te nunc, quâ *Belgarum Sapiens*, MAGNVM olim AVVM Tuum decorauit, affari voce. *O nate in exemplum Virorum Principum, atq; vtinam sint, qui imitentur!* O ingens Maiorum Gloria, & vel hâc etiam ipsâ maior, quas non hinc Tibi gratias, quæ non nomina mancipasti! Cedit nunc profectò Tibi, quidquid vspiàm laudari potuit, in laudem: suosq; iam explicat totius memoriæ vetustas Titulos, vt Tuos impleat illo honore, quem fortissimis quibusq; debuit aut dedit, quem etiam defert ijs, qui Patriam labentem erexisse, qui lapsam extremo ab interitu præseruasse potuerunt, qui etiam seruasse. Ad eundem Magnitudinis Tuæ apparatum spectant ij, quos anno hinc præterito, ad Tua ista Mœnia conspeximus, victi iam Hostes. Vt ne etiam illius Triumphi magna quædam pars non videâre, quo prudentissimorum DVCVM auspicijs, fortissimorum Militum laboribus ac periculis comparato, Regnum hoc frui recèns potuit: siquidem Tu illos quos Hi debellarunt fædifragos, non tantùm ad Limina hæc Tua, impunè grassari non permisisti; verùm etiam vltrice Tuorum manu prosecutus, vsque adeò terruisti, vt tantò citiùs illud quod meruerant, adire supplicium debuerint: quantò celeriùs hinc multâ sui parte cæsi attritique, euasisse potuerint: si tamen, quos tantum deinde malum inuasit, potuerint euasisse. Nemo igitur vel hîc, cùm immotam Tuam Constantiam, tùm Martiam istam non probauerit Fortitudinem, quam primum Serenissimus REX, deinde amplissimi Ordines, omnesque boni Ciues & Viri in Patriâ de-

 prædicant:

prædicant: Exteri inſuper mirantur, hoſtes ambiunt, Poſteritas recolet, memoriâ æuiternâ. Nemo itidem miretur, tantis Te Illuſtrem Dignitatibus, beneficio inſuper Regio, *Copiarum Exercitûs Germanici, in Regno Poloniæ* GENERALIS, Nomina & Inſignia aſſumpſiſſe: Cuſtodiæq; planè totius Imperij, ad *Præfectumm Camenecenſem* Præfectum eſſe: atq; illius frangendis Barbarorum inſultibus, ad fines Podoliæ excitati in Rupe *Propugnaculi*, Præſtitem extitiſſe: cuius petrâ ſolidior Fides, & vnita huic multiplex bellandi Virtus, tantùm & paſsim aliàs & recèns meruit, vt Te ampliſsimorum omnium Honorum, quodam maximo iurè faciat Candidatum. Néq; enim hic ſtatus eſt, vt meritorum, ſic quibus hæc penſari debent Præmiorum Tuorum, ſed princeps quidam ingreſſus: & verè princeps, quem ſi tantis eſſe Nobilem licuit initijs, quantis deinde Honorum ſucceſsibus inſignem fieri oportebit? quos omnium auguſtiſsimos, proſpicere, an optare Tibi frequentiùs debeamus? Ipſemet litem ſoluis, cum omnes mereris. Hæ Tuæ laudes SPONSE ILLVSTRISSIME, hæc Elogia, hæc Nomina ſunt. Hæc iſtam integram NVPTIALIVM SACRORVM ſpeciem exornant; vtq; concordi omnium affectu Tibi promuntur; ſic ampliori quadam maieſtate, conſpicua ſupereminent ab his, quę cum AVGVSTISSIMA SPONSA participas ornamentis; quibus Te demùm ornari oportuerat, nè tàm eximijs abundans Honoribus, ſolâ eorum & Vitę Sociâ indigeres. Quodcunq; enim & quamlibèt ſpecioſum Magnis Nominibus bonum eſt; minùs herclè illud eſt; quoaduſque in quem diffundi debeat, non habet; quoaduſque eum deſiderat, cui Virtutis, & Fortunæ Patriæ Succeſſori, benefico hæreditatis iure concredatur; quoaduſque vnius dumtaxat vſu nobile, vel ineptos metuit, vel nullos ſperat hæredes. Vtique extra id formidandum certè Illuſtribus Familijs diſcrimen, videntur eſſe illi: quoſcunque beatior Hymenæus, cum ad ſua Fœderum Maritalium vocauerit inſtituta: tùm eâ ſimul optatiſsimæ Poſteritatis, ac Prolis ſpe confirmauit, vt nequeant eſſe in agendis quibuſque maximis pro Eccleſiâ ac Republica non perennes, quos perennitas quædam certa manet, nullis vnquam vel temporum interſtitijs, vel rerum ambagibus, in numeroſâ ſobole deſitura. Ijs Te hodie ſalutamus auſpicijs, atque his Tibi votis, Vrbem hanc & Domum Noſtri Herois introëunti acclamamus, quàm ordine gratulationis remoti, tàm deſideriorum candore primi Academici Zamoſcenſes, SPONSA ILLVSTRISSIMA. Illi nimirum, quibus

cùm ad

cùm ad omnes Benefactorum successus, prima semper gratulandi officia fuêre, tùm ad hos fortunatissimi Vestri Hymenæi apparatus, tàm prompta, tamq; deuota sunt; vt appellari aliàs quàm SACRA, non possint, quæ toto animo, desiderio, affectu, Honoribus Vestris consecramus. Etenim quod vnicum ad exaggerandã ZAMOSCIÆ amplitudinis dignitatem, maximè pertinebat; quodq; solum optandum nobis superesat vniuersis, vt exoptata toties PATRONO CONIVNX, nobis PATRONA, ad illam Eius participationem Honorum, nostrorumq; hanc comprobationem Laborum tantociùs obueniret; id cum in Te Vnâ vtrumq; habeamus, iurè nobis abundantiùs gaudemus, Tibi gratulamur; & cùm sæpè postea vsurpabimus, tùm ad NVPTIALIA hæc primùm SACRA, libentissimè acclamamus: diuinitùs Te nobis PATRONAM obtigisse, diuinitùs SPONSAM PATRONO. Hæc est quandoquidem Tua ab augusto illo deriuata Sanguine ingenuitas: quod quibusque Maximis GALLIARVM Familijs Cognata, ita ZAMOSCIAM ILLVSTRISSIMI SPONSI Tui, Principibus omnibus in Regno Poloniæ coniunctam Prosapijs, ornaturam Te promittas Domum inclytam; vt nihil exhinc Ei ad exaggerandam immensæ magnitudinis speciem deesse valeat, posteaquàm Patrijs honoribus tàm insigniter illustrem, hic insuper TECVM ab Extero Solo nitor accessit. Ac quemadmodum probatissima Bello & Pace amplissimorum Tuorum MAIORVM gesta, Christianissimum illum Orbem, magnâ semper admiratione tenuerunt, famâ illustrarunt, nuncque etiam indefessis pro Ecclesiâ ac Republicâ Illustrissimi PARENTIS laboribus, sustinent ac illustrant; ita non ingenti quodam sinè auspicio, in hanc deniq; meritissimam Domum commigrarunt; vt Maxima nimirum vnita Maximis, tantò firmiùs, ac exactius, in auspex illud stabilimentum coalescant, quassatæ tot procellis Ecclesiæ Catholicæ, distractæ tot ab hostibus Patriæ nostræ, & florentissimæ vtriusq; Familiæ, augendis Ecclesiæ Patriæque ornamentis genitæ, ac in æuum victuræ. Hâc omninò spe, atq; etiam expectatione iubent nos esse, præter augustissimæ Domûs ornamenta, Maiorumque tanta decora! & agnati Sanguinis toto Orbe peruagata Insignia; Tuę insuper ingentes illæ Dotes, quas singulari quâdam cœlorum prærogatiuâ, tàm amplas, tamq; liberales possedisti; vt omnem propè Illustrium Heroinarum mundum, occupasse videâre; illum inquam comptissimæ Virtutis ac Formæ, quo nihil magis comptum, & mundum. Atq; cum summa in Te DEVS

 gloriosus

gloriosus congesserit, & Naturæ Bona, & ornamenta Fortunæ; tum nihil præclariùs, nihilque dignius, quàm quod illam in Animo Tuo radicauerit Pietatem, quâ demùm esse oportuerat exornaturam eos SPONSAM Thalamos, in quibus sola Pietas radices egit, quos ipsa ornauit, ac fouit, omnium sanè Virtutum Mater. Illam Pietatem, cuius feruore, vsq; adeò Te Diuino cultui deuouisti, vsq; adeò Virginis DEI MATRIS, mortalium Aduocatæ, Sanctorumq; afflicti Orbis ac Regni Tutelarium; vt nihil frequentiùs in Te quisquam videat, ac perennes quasdam, continuasq; illorum Honoris curas, ac solicita ornandorum, augendorumque Sacrorum studia & vota, ac profusissimas ad Altaria Diuûm preces: tantâq; inter Rem Diuinam, tantâ inter prolixa Sacrorum Solemnia, tantâ inter Horariarum Concionum moras patientiâ! propè indefessas. Illam Pietatem, cui nec tranquilla noctium, nec laboriosa dierum otia, vsquàm esse concedunt otiosæ, quam diurnis nocturnisque ad venerationem Superûm excubijs excitas ac auges; sic otiari solita vt semper agas aliquid ; sic agere , vt tum demûm suauissimè Tibi otiari videâre, quando negotiosum otium consecras Aris ornandis. Illam adextremum Pietatem, quam in Te demûm maximam videri facultas est: Cuius Infantis Cunas immensa illa Gentilitia in Deum Diuosque Religio, tot Templis, Aris, Altaribus, Xenodochijs, vbiq; per amplissimum Galliarum Regnum, erectis, dotatis, ornatis, extructis conspicua, tenuit, ac fouit; & cuius reliquam succrescentis felicitatem ætatis REGIA illa habuit, non minùs Catholicæ Religionis, quàm Polonicæ Maiestatis Suprema Domus: imò ipsa Serenissima LVDOVICA MARIA Poloniæ ac Sueciæ REGINA educauit: Cuius quantò maiora sunt in Ecclesiam, atque hanc nostram Rempublicam promerita, tantò Tua videntur gratiora omnibus Elogia, tantò ampliùs ab his, constantissimæ testimonium Pietatis, maiorq; laus eminentissimarum Virtutum. Enimuerò cum SERENISSIMÆ eius memini: non est quod in explicandis sexcentis alijs Animi Tui dotibus prolixiùs adlaborem. Ipsa eius mentio omni honore digna, Dignitates Tuas explicat vniuersas, quas tantò certiùs & frequentissimo numero, & venustissimo quodam apparatu possedisti; quantò nobiliùs versata es in illo virtutum Augustali, in Oculis ac Delicijs eius REGINÆ, cuius excellentium virtutum splendor, totius non tantum Regni, sed etiam Orbis oculos, in admirationem sui conuertit. O Te Nobilem illâ Palæstrâ! at nec minùs illam Te

Alumnâ

Alumnâ fortunatam; à quâ nihil quidem pro institutâ hac Indole gratitudinis non expectet; posteaquàm in illam migrasti DOMVM, quę nedùm tantis obstricta beneficijs? gratissima semper extitit illi REGIÆ, cuius Honorem Vitâ & Sanguine sibi chariorem, toties testata est, & recèns monstrauit. Ingressa es videlicet, & auspicatò quidem vt optauimus, ingressa illam DOMVM, SPONSA ILLVSTRISSIMA, quam olim tot Principes Matronæ, tot Diuæ Fœminæ Connubijs suis ornârunt: quam insignes felicissima Prole HERBVRTEÆ fæcundârunt, celebres toto Orbe Affinitatis imaginibus OSSOLINIÆ auxerunt, insignes Ducali Purpurâ RADIVILLÆ decorârunt, affines Regalibus Sceptris, BATHOREÆ firmârunt, Lucidæ, quà Gentilitijs Syderibus, quà splendipsimis Virtutum ornamentis TARNOVIÆ illustrârunt; quam ad extremùm, (compendium vt loquar) Compendium ac Collegium illud Insignium per totam Poloniam Familiarum, Illustrissima CATHARINA DVCISSA in OSTROG, tantùm stabiliuit, quantùm potuit ac debuit illa, quæ ad ædificandam Mariti Sui THOMÆ CANCELLARII Domum, ex illa Ducali, tot Honoribus amplâ, meritis augustâ, nominibus illustri Domo assumpta, omni quidem hûc conatu incubuit, vt quàm felicissimè stabiliret, nobilitate Exornatricis Regnorum Prolis, maturitate firmatricis Familiarum Pietatis, altricis Prudentiæ, & in summâ, omnium specie Virtutum. Quid enim est Illustrissimæ huic DOMVI tàm illustre, cuius in maximum, non Consortium tantùm, sed opus etiam, necdùm in sortem, verùm in Constitutionem quóque, istius HEROINARVM PRINCIPIS, non accesserit Mens, Manus, Sumptus, Labor, Conatus? Intuemur istam BASILICÆ COLLEGIATÆ speciem? hæc eam numerosis Presbyterorum ordinibus auxit; hæc venustissimâ Altarium supellectili decorauit; hæc fundato Cleri Seminario ampliauit, hæc auro argentoq; exornandis Aris liberaliter profuso locupletauit, hæc (nè tantum opes, & non opus etiam Superis deuoueret) gracilibus illis Manibus textas, paratasque, quibus Sacris litatur preciosissimas vestes, curauit, donauit. Conspicimus istam ACADEMIÆ molem? hæc eadem, iungens conatus suos extremis IOANNIS & THOMÆ ZAMOSCIORVM Tabulis, à Fundamentis illam excitauit, erexit: Eadem Professores censu, Vniuersitatem numero Professorum auxit, Literis Patrocinio incrementum, Literatis honore solatium, ac promptissimos ad omnem in Academicâ statione sedulitatem & fidem animos adiecit.

 Videmus

Videmus adextremùm hunc VRBIS decorem? Illa ipſa Ciues ciuiliter habuit, neminem Incolarum ad ſe acceſsiſſe paſſa, cui non ſingulare aliquod benignitatis munus exhibuiſſet; omnes beneficijs fouit, gratijs firmauit. Quidni porrò Eam vniuerſorum deſiderijs Tu reſtituas, quam ita iam moribus reddis? Quidni ſucceſsione exprimas; quam animo ſic impreſsiſti, vt viua quædam eius Tecum circumferas inſignia Virtutum, Orbique repræſentes in hoc ſereno Vultu, grauitatis, in his Oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone prudentiæ illius exempla. Id profectò ſperare nos iubet Tua iſta ampliſsimarum Virtutum teſtis modeſtia, iunctaq́ ei cum maxima probitate, ſumma manſuetudo, & in omnibus excellens quædam Animi moderatio ac conſtantia. Id etiam ſpondent & promittunt, fortunata hæc nobiliſsimi auſpicia Hymenæi, tot bonorum Ciuium deſiderijs, tot ſuſpirijs ſubditorum, plena ac ampla. Cui cum nos quoque NVMINI, non vllo noſtro cenſu aut cultu, ſed Maximis MAIORVM Veſtrorum Inſignibus, Nobiliſsimis FAMILIARVM ornamentis, venuſtiſsimis VIRTVTVM imaginibus, decora SACRA inſtaurauimus: Vota inſupèr hæc noſtra adiungimus: optamuſq́; (ac puro quidem iſto corde,) vt ſemper florentes, ſemperq́; incolumes, non inchoetis tantùm, ſed etiam continuetis hanc Lætitiam. Tu Optime Maxime rerumque omnium, iſtiusque Hymenæi Conditor & Auctor DEVS: Túq; Diuiniſsimarum Diuiniſsima, Caſta inter Virgines MATER, fœcunda inter Matres VIRGO: humanarum mentium Dominatrix. Et Vos Indigenæ Cœlorum DIVI, ſupplicibus his noſtrûm deſiderijs proſpicite, annuite. Facite hoc ſuauiſsimis SPONSIS proſperum Coniugium: Facite bonâ ac pulchrâ Prole fortunatum: idq́; primùm tribuite, quod à Vobis plurimùm poſtulamus; vt inclytum hoc Par, quod concors iunxit amicitia, ſoſpes & incolume, plenos Honoribus annos, plenas ſolatijs ætates viuat, VIVAT.

ZAMOSCI, In Officinâ Typographicâ Acad: Zamoſceñ: Imprimebat ANDREAS IASTRZEMBSKI.